

rim idipsum foret, quoniam cogendi viribus est destituta. *Qui enim, PUFENDORFII Lib. I. de O. H. & C. Cap. II. §. 5. verba sunt, rationes quidem habet, quare ego ipsi parere debeam, à viribus tamen malum aliquod mihi imponendi destituitur, ejus jussa impunè à me possunt negligi, ni potentior aliquis hujus auctoritatem proculcatam adsertum eat.* Nullam igitur Atheus Legem Naturæ, nullam agnoscit obligationem, exceptâ hominum auctoritate, neminem esse, persuasus, qui suam vindicare possit improbitatem. Propterea se stolidè facturum, opinabitur, nisi suis indulserit cupiditati ac voluptatibus, quotiescunque occasio sese obtulerit, nec aliæ præsto sint causæ inclinationem ejus ad prava refrænantes, & à malo patrando retrahentes ipsum. Vidit hoc & observavit *LACTANTIUS Lib. de Ira DEi Cap. 8. contra Deistas veteres & Epicuræos, providentiam DEi circa negotia humana negantes, (quanto magis itaque contra Atheos directos id valebit?) disputando ratiocinatus: Quod si negotium DEus nec habet, nec exhibet: cur non ergo delinquamus, quoties hominum conscientiam fallere licebit, ac leges publicas circumscribere? Ubicunque nobis latendi occasio arripserit, consulamus rei, auferamus aliena vel sine cruore, vel etiam cum sanguine: si præter leges nihil est amplius, quod verendum sit. Hac dum sentit Epicurus, religionem funditus delet: quâ sublata, confusio ac perturbatio vite sequitur. Quod si religio tolli non potest, ut & sapientiam, qua distamus à belluis, & justitiam retineamus, qua communis vita sit tutior: quomodo religio ipsa sine metu teneri aut custodiri potest? Quod enim non metuitur, contemnitur: quod contemnitur, utique non colitur. Ita fit, ut religio, & majestas, & honor metu constet: metus autem non est, ubi nullus irascitur. Sive igitur gratiam DEo, sive iram, sive utrumque detraxeris, religionem tolli necesse est, sine qua vita hominum stultitia, scelere, immanitate completur. Multum enim refrenat homines conscientia, si credamus nos in conspectu DEi vivere, si non tantum que gerimus, videri desuper, sed etiam que cogitamus aut loquimur, audiri à DEo putemus. At enim prodest id credere (ut quidam putant) non veritatis gratia, sed utilitatis: quoniam leges conscientiam punire non possunt,*